

## INCIPIUNT QUESTIONES NUMERORUM:

**I** QUID EST QUOD SINGULOS DE SINGULIS ELEGI UBET PRINCIPES EOSQUE  
appellat chiliarcos. quos quidam Latini interpretet tribunos. appellauerunt.  
Chiliarcia autem uidentur a mille cognominati. sed cum consilium <sup>israhel</sup> <sup>osocor</sup> <sup>moysi</sup>  
generis suo daret. quod etiam deus approbavit. De ordinando populo subprinci-  
pibus. ut non omnes omnium causas moysen ultra uires onerarent. Chiliarcos  
appellauit constituendos. super millenos homines. ecaton tarchos super cen-  
tenos. & pente contharcos. super quinquagenos. & decarchos. super denos.  
Ab ipsius numeris quibus praeesent cognominatos. Numquidnam & hic sic acci-  
piendisunt chiliarchi. quod singuli essent. super millenos. non utique neque  
enim uniuersus omnium populus israhel. Duodecim hominum milia tunc fu-  
erunt. singulos enim elegit de singulis tribubus quae duodecim tribus pro-  
culdubio non millenos homines. sed multa milia continebant. Nomen ergo  
commune est cum illis qui in exodo appellantur. Chiliarchi quod unusquisque  
illorum esset mille hominum. princeps istorum autem. unusquisque milium  
princeps. quoniam siue amille siue amilibus eadem compositio nominis resonat  
ut appellentur chiliarchi.

**II** Merito quaeritur quid sibi uelit quod per omnes tribus ubi computantur  
per singulas quasque filii israhel. In aetate militari dicitur. secundum  
propinquitates eorum. secundum populum eorum. secundum domos  
familiarum eorum. secundum numerum nominum eorum. secundum ca-  
put eorum. & haec quinq. similiter omnino repetuntur. donec tribus  
omnes compleantur. quasi / aliud sit secundum propinquitates eorum  
aliud secundum populos. aliud secundum domos familiarum. aliud se-  
cundum numerum nominum. aliud secundum caput. Cum potius uide-  
antur aliis uerbis eadem significare ista omnia. Intentionem autem mo-  
uet quia tam diligenter per omnes tribus eadem repetuntur. ut non  
frustra fieri qui uis iudicet. etiam si non intellegat. Nimirum ergo  
numerus ipse aliquid insinuat sacramenti. ut hoc idem quinquies.